

16. *Quos effectus habet prædicta consuetudo.* — Quamvis autem consuetudo jus non inducat, aliquos effectus habere potest circa legem præexistentem in ordine ad perseverantiam illius, et effectus subsequentes. Atque hoc modo dicitur primo confirmare legem; sic enim dixit Gratian., § *Leges*, sub cap. *In istis*, d. 4, *leges institui cum promulgantur, firmari autem cum moribus utentium approbantur*; et significatur etiam in l. ult., c. Quæ sit longa consuetudo, et optime explicat Bart. in repet. legis *De quibus*, ff. de Legib., num. 4, dicens hanc consuetudinem confirmare legem, non per se, sed removendo, prohibens, scilicet, contrariam consuetudinem et abrogationem. Atque eodem fere modo dicitur hæc consuetudo adjuvare legem, ut sumitur ex cap. *Sopita*, de Censib., nimirum, quia et faciliorem reddit observantiam ejus, et quodammodo facit illam magis immutabilem, juxta proxime dicta. Alius effectus hujus consuetudinis est interpretari legem, imo vocatur in jure, *optima legum interpretatio*, capit. *Cum Dilectus*, de Consuet., l. *Si de interpretatione*, ff. de Legibus, et declarat Bart., dicto n. 4 et 5, et Panormit., dicto cap. ult., n. 28; et ratio est, quia indicat quo sensu fuerit lex in principio lata et recepta. Quod si aliquando faciat talem interpretationem quæ inducat nonnullam legis mutationem a primæva sua institutione, illa non esset mera interpretatio, et ideo sub ea ratione illa consuetudo non erit secundum legem, sed superaddita legi. Et quantum ad hoc eadem ratio est de illa quæ de consuetudine legi contraria. Quia ex parte aliqua repugnantiam aliquam habet, cum lege, ut in principio fuit posita; nam in aliquo illi derogasse dicitur. Et ita de illa quantum ad hunc effectum simul dicemus cum consuetudine abrogante legem.

17. Denique addi solet alius hujus consuetudinis effectus, qui dicitur extensio legis. Ut si, verbi gratia, pro laicis tantum posita sit lex, et postea per consuetudinem a clericis etiam servetur, fieri potest ut, ratione consuetudinis, obligentur clerici, qui ex vi legis non obligarentur, sumpto argumento ex Panormit. per illum textum in cap. *Cum causa*, de Re judic., num. 4; Felin., in cap. *Ecclesia*, de Constit., n. 62; Covar., in 4, 2 part., c. 6, § 10, n. 18; et Tiraquel., de Primogen., num. 44, qui dicunt consuetudinem justam seu communem clericis et laicis obligare clericos: ergo a fortiori consuetudo clericorum obligabit illos, etiamsi secundum legem laicorum inducta sit.

Sed in hoc considerandum est, aliud esse consuetudinem esse secundum legem, id est, ex vi legis, et imperio ejus; aliud vero consuetudinem esse secundum legem, id est, ad instar, et similitudinem, seu imitationem ejus. Nos hic priori modo intelligimus consuetudinem secundum legem, et illa revera non extendit legem, nisi forte per interpretationem quæ eadere possit in verba ejus. Neque in dicto exemplo consuetudo est illo modo secundum legem, quia non est ex lege civili, sed ex libera voluntate eorum, qui facere voluerunt quod lex civilis præcipiebat, etiamsi per illam non obligarentur, quales erant clerici in dicto exemplo. Tantum ergo dici potest illa consuetudo secundum legem civilem per imitationem, et ita mirum non est quod possit novum jus introducere: nam hoc per se habet consuetudo, juxta legem ultimam, c. Quæ sit longa consuetudo, et quod illa imitatio sit alterius legis extraneæ, nihil refert, neque aufert consuetudini vim suam. Unde etiam fit ut illa non sit propria extensio prioris legis, sed inductio novæ alterius rationis seu fori. Nam obligatio quæ circa tales personas insurgit, revera non est ex priori lege civili, sed ex nova lege ecclesiastica consuetudine clericorum introducta. Et ideo talis consuetudo, ut sic, reducitur ad eam quæ est ultra legem.

CAPUT V.

DE VARIIS PARTITIONIBUS CONSUETUDINIS EX EJUS MATERIA SUMPTIS.

1. *Consuetudo canonica et civilis.* — Quarto, dividi potest consuetudo ex parte rerum, seu materiæ circa quam versatur, sub qua multæ subdivisiones seu faciliores partitiones contineri possunt. Sic enim dividi potest consuetudo in canonicam et civilem, ad eum modum quo dividitur lex in membra similia. Nam si consuetudo sit in materia spirituali, erit canonica, ut consuetudo jejunandi, servandi aliquod festum. Et in universum omnis consuetudo propria clericorum canonica est, etiamsi videatur aliquando circa materiam temporalem versari, quia semper versatur circa illam materiam, prout spectat ad bona vel personas clericorum, aut Ecclesiarum, et sub illa ratione, sacra seu spiritualis est. Consuetudo autem civilis est propria laicorum, et circa temporalem materiam versari debet; legem enim civilem imitatur, argumento l. ult., cod. Quæ sit longa consuetudo.

2. Dices, non esse adæquatam divisionem, quia datur consuetudo communis laicis et clericis, et utrosque obligans, ut cap. præcedenti ex Panormit. et aliis dicebamus: illa autem non potest dici canonica, vel civilis, sed mixta. Respondeo: vel illa comprehendit clericos, tantum ut cives sunt, quia est de materia pertinente ad temporale regimen et commune bonum politicum civitatis, et talis consuetudo civilis erit; tum quia tota tendit ad finem temporalem, et subjacet potestati temporali; tum etiam quia est a civitate, ut civitas humana est, a qua denominatur lex vel consuetudo civilis. Nec est inconveniens quod obliget clericos ut cives sunt, quia illi etiam nomine civitatis veniunt, ut notat Bart. l. 1, ff. Ad municip., et Panorm. in cap. *Cum causam*, de Re judic.; et per legem etiam scriptam civilem possunt hoc modo obligari quoad vim directivam, modo supra explicato. Aut est consuetudo pertinens ad clericos, ut clerici sunt, vel ut christiani sunt; et tunc necesse est ut consuetudo sit canonica, quia sola illa poterit clericos, ut tales sunt, obligare, et illa sola est eminentioris ordinis, quæ possit etiam laicos comprehendere, quia semper consuetudo imitatur legem, et a potestate seu jurisdictione ejusdem ordinis pendet. Potest autem dupliciter id contingere. Primo, quia materia et finis consuetudinis spiritualis est pertinens ad laicos et clericos ut christiani sunt, et talis est una simplex consuetudo, et canonica, qualis est consuetudo servandi diem festum utrisque communis. Secundo, contingere potest solum per quamdam convenientiam et similitudinem, ut, verbi gratia, quia, in tali loco, tam iudices laici quam ecclesiastici servant aliquam consuetudinem in suis judiciis. Et tunc in rigore non est una consuetudo, sed duplex, una canonica, et altera civilis, quæ solum per aggregationem per modum unius reputatur. Et ita divisio est adæquata, et hæc videntur sufficere ad expositionem ejus, deservietque in sequentibus ad usum terminorum.

3. *Stylus quid significat.* — Alio modo etiam ex parte materiæ potest dividi consuetudo, in morem stricte sumptum, stylum, ritum et forum. Quæ divisio constabit explicando tres voces ultimas: nam omnem aliam consuetudinem sub illis vocibus non comprehensam sub more stricte sumpto comprehendimus. Primo igitur, stylus significare videtur usum specialem in scribendo, vel loquendo, ut colligi potest ex c. *Quam gravi*, de Crimin.

fals., ubi dicitur, ad discernendum vera rescripta pontificia, inter alia respiciendum esse ad stylum. Unde aliqui colligere voluerunt stylum solum morem scribendi significare: nam ita etiam sumitur in cap. *Venerabilem*, de Confirmat. util. vel inutil. Ita sentit cum aliis, quos allegat, Rochus Curt. in dicta Præfat., n. 28, et favet vocis translatio: nam primo significasse videtur æneum instrumentum scribendi, et inde translata est ad scripturam significandam, juxta l. 1, c. de Sacros. Eccles., et inde ad modum seu ordinem scribendi. Sed, licet in prædictis juribus ita usurpetur illa vox, non excluduntur alia significata: nam etiam significat usum et modum loquendi. Indeque videtur hæc vox accommodata ad significandum modum servari consuetum in aliquo ordine judiciali. Et ita dixit Cyn. in l. 1, c. Quæ sit long. consuet., stylum esse practicam aliqujus curiæ. Et idem habet Bald. in l. ultim., c. eodem, et per antonomasiam ita vocari solet stylus romanæ curiæ. Et fere in idem redit quod dicit Bartol. in dicta repetitione legis *De quibus*, n. 10, in fine quæstionis primæ, stylum esse consuetudinem, quæ respicit ordinem loquendi et procedendi, scilicet, in judicio. Nam ob hanc causam dixit idem Bart., in l. 2, c. Quæ sit long. consuet., num. 9, stylum solum induci per actus judicarios eorum qui in judicio versantur; Angel. vero, in § *Ex non scripto*, Instit. de Jur. natur., dicit stylum non magis dici in judiciis quam extra illa. Quod certe verum est spectata generali vocis significatione; considerando autem usum ejus in ordine ad jus explicandum, vel introducendum, proprie videtur respicere ordinem judiciorum, sub judiciis omnes scripturas, bullas et rescripta comprehendendo: nam licet in eis expediendis non interveniat ordo judicialis, stylus eorum in judiciis attenditur. Et plura de hac voce erudite congerit Christophor. de Paz, in 1 part. rubr. ad leges Hispaniæ, quæ styli appellantur.

4. *Stylus facti quid.* — Ut autem non sistamus in sola vocis significatione, sed rem, quæ ad jus pertineat, explicemus, possumus in stylo cum proportionem ad consuetudinem duo distinguere, scilicet, stylum facti, et juris. Stylus quoad factum videtur mihi esse non tam frequentia actuum sic scribendi, loquendi, aut procedendi, quam forma illa quasi artificialis, quæ servari solet in ordine sermonis, scripturæ, aut processus, ita ut inter partes ejus, vel talia verba usurpentur, vel tali modo, aut ordine constituentur. Hæc enim significa-

tio ex communi usu constat, et ex juribus allegatis, et sumi etiam potest ex leg. 1, c. De sacrosanct. Eccles., ubi dicitur *voluntatis ultimæ stylum liberum esse debere*, id est, formam disponendi per testamentum; ubi constat stylum esse quid facti, et non significare frequentiam actuum, sed ipsam formam disponendi. Et clarius in illa significatione usurpatur l. 3, c. de Bon. vacant., lib. 10. Et sic etiam dixit Terent. in Andria: *Dissimili oratione sunt factæ, ac stylo*. At vero, quia in loquendo maxime et scribendo, talis forma usu comparari solet, ideo usus ipse, seu consuetudo, sic scribendi, vel loquendi, stylus appellatur, et ita significat consuetudinem facti, ut sensit Bald. in dicta l. 1, c. de Sacros. Eccl., et in l. *Si quis intra*, c. de Bon. præscriptorum. Quod intelligendum est non absolute de quacumque consuetudine, sed in tali materia, ut supra dixi.

5. *Variæ effectus styli insinuantur.*—Si ergo ex tali stylo facti introducatur obligatio servandi talem modum vel ordinem in pronuntiando, seu procedendo, quoad hoc stylus erit jus speciale, et non scriptum. Unde quia hæc obligatio non videtur ordinarie posse introduci per stylum facti, ita ut vim legis habeat, nisi in his quæ judicia concernunt; ideo stylus specialiter, ut est quid juris, videtur accommodari ad judicarium morem et ordinem, ut ex Bart. diximus. Nam in aliis materiis, sermonibus, vel scripturis, usus sic vel sic loquendi, aut scribendi parum videtur referre ad commune bonum, ut possit legem inducere: in judiciis autem multum referre potest, adeo ut dixerit Anchar., cons. 53, stylum curiæ facere jus in casibus a jure non decisis. Et ideo stylus, ut est aliquid juris, proprie dicitur ad judiciaria pertinere. Sic ergo stylus est quoddam jus non scriptum, interdum positive obligans, ut ab eo non recedatur, juxta leg. ult., c. de Injur.; interdum obligationem tollens, ut, licet jure communi sententia debeat pronuntiari a iudice, de stylo curiæ dicitur non esse necessarium. Interdum interpretationem juris inducit, etiam authenticam et sequendam. Quomodo autem stylus introducatur, ut habeat hos effectus, cum proportione ad consuetudinem explicandum est, et in sequentibus si quid habuerit speciale adnotabitur.

6. *Quæ et quales sint leges styli.*—Atque hinc tandem intelligi potest quæ et quales censendæ sunt leges styli. Dupliciter enim potest illa determinatio sumi, cum aliqua lex dicitur esse styli. Uno modo, ut illa denominatio sit

ab objecto legis, seu materiæ circa quam versatur. Et sic proprie talis lex per se non pertinet ad consuetudinem, sed magis ad legem scriptam, quæ disponit de stylo servando in his quæ concernunt judicialia, sicut in rhetorica dicuntur leges styli, quæ tradi possunt de modo et ordine graviter, et suaviter, ac clare loquendi, vel scribendi. Et hujusmodi sunt leges styli regni Hispaniæ, in quibus etiam sæpe stylus moris et consuetudinis allegatur. Et ita existimo ab ipsa materia denominationem illam suscepisse, licet Christoph. de Paz, supra, num. 53, aliter illam rubricam explicet. Alio vero modo potest lex styli dici ab intrinseco modo, quo introducta est per solum usum in tali materia forensi, seu judiciaria, et sic est proprie jus non scriptum sub consuetudine comprehensum, ut explicatum est.

7. *Ritus quid significet.*—Aliud membrum dictæ partitionis erat *ritus*; nam hunc etiam inter ea quæ ad consuetudinem pertinent ponit Rochus Curt., in dicta Præfat., n. 28, ex Panormit. in cap. *Cum secundum*, de Tempor. ordin., ubi sic inquit: *Ritus est consuetudo solemnitate præbens in aliquo actu exercendo, ita ut ubi usus disponit erga solemnitate actus, ritus, seu observantia dici possit*. Et solum allegat cap. ult. de Consuetud., ubi nihil de ritu in particulari dicitur. Juxta quam descriptionem, etiam stylus erit quidam ritus, licet non omnis ritus dici possit stylus. Idem vero Panormitanus in cap. *In aliquibus*, de Decim., in princip., restrictius dixit: *Ritus significat mores in spiritualibus*. Et juxta hoc non omnis solemnitas actus dicitur ritus, sed specialiter illa quæ est in materia sacra, ut sacrificii, sacramentorum, et sacramentalium, aut orationum, seu divinorum officiorum; et hic videtur communis ecclesiasticus usus illius vocis. Nunquam autem probavit Panormitanus illam vocem specialiter significasse consuetudinem aliquam; imo, in cap. *Presbyter*, de Sacra unctione, notat idem Panormitan. quod *ritus est quedam solemnitas et forma specialiter in actu sacramentali*.

8. *Ritus facti vel juris.*—Quapropter doctrina data de stylo videtur ad ritum applicanda. Nam ritus esse potest vel quid facti, vel quid juris; item ut est quid facti, primo et per se consistit in solemnitate aliqua, seu cæremonia alicujus actus: et in hac acceptione usurpatur in tribus capitulis allegatis. Unde ad hujusmodi ritum non est per se necessaria consuetudo, nec actuum frequentia: sæpius enim instituitur ante omnem usum, aut ver-

bo, ut Christus Dominus instituit substantialem ritum sacramentorum, aut scripto, ut multæ accidentales solemnitates, et actiones sacre ab Ecclesia institutæ sunt, ut constat. Non repugnat autem, imo etiam sæpe contingit ritus hujusmodi usu et consuetudine introduci, et tunc talis consuetudo dici potest ritus quidam, ut voluerunt dicti auctores; oportebit autem illam distinguere, ut est quid facti, vel juris. Nam priori modo erit frequentia sic operandi in tali materia; posteriori autem modo esse poterit jus aliquod non scriptum in eadem materia per illam frequentiam inductum, et sic fere omnes consuetudines canonicæ in actibus pertinentibus ad cultum Dei, quatenus eis dant formam, seu specialem modum, dici poterunt ritus. Quale autem sit hoc jus, et quomodo introducatur, ex generalibus regulis de consuetudine petendum est; nihil enim videtur habere speciale, sed cum proportionem principia de consuetudine applicanda sunt.

9. *Forum quid.*—Tertium membrum in eadem partitione positum, est *forum*, quæ vox, in communi jure, usitata non est in hac significatione; et ideo Bart., Panormit., Rochus, et alii de consuetudine scribentes, illius non meminerunt. Tamen in legibus nostri regni forum inter consuetudines ponitur, in l. 7, tit. 2, part. 1, ubi id notat Greg. Lopez, et, considerata illius vocis derivatione, videtur idem esse quod stylus, prout a nobis explicatus est, vel parum ab illo differre. Forum enim, in usu vulgari, locum publicum significare solet ad mercaturam et negotiationes venales destinatum, ut est apud Isidor., l. 15 Orig., c. 6; et quia judicia in his locis publicis exerceri solent, ideo credit illud nomen translatum esse ad significandum locum judiciorum. Idem vero, l. 15 Orig., cap. 2, et l. 18 Etymol., c. 15, forum ait, exercendarum litium locum significare, et a fando esse dictum; et habetur in cap. *Forum*, de Verbor. significat. Unde etiam significare solet proprium territorium uniuscujusque judicis, aut Prælati, et ita videtur sumi in tit. de Foro compet., ut ibi Hostiens., Panorm. et alii notant. Atque hinc etiam actiones judiciales per antonomasiam vocari solent actiones forenses, ut in l. penultima, ff. de Feriis; unde etiam dicta sunt instrumenta forensia scripturæ publicæ, quæ fidem in iudicio faciunt, l. *Comparationes*, c. de Fide instrument. Ita ergo consuetudines pertinentes ad ordinem judiciorum forenses dici possunt.

10. *Forum et stylus in quo differunt.*—Hæc

igitur consuetudines censentur in Hispania comprehendi nomine fori; nam leges quæ fori dicuntur, ex usu originem habuerunt, ut in earum proœmio dicitur; et dubium non est quin usus in tali materia possit jus inducere, non minori ratione quam in aliis. Unde dicitur in l. *Labeo*, ff. de Statu lib.: *Morem agentium sequi debemus*; et in l. 1, § *In honorariis*, ff. de Variis et extraord. cogn., expresse dicitur *pro fori consuetudine estimationem habendam esse*, et notat Bart. in dicta l. *De quibus*. Unde in hac significatione constat parum ab stylo differre; unde, licet in Hispania distinctæ sint leges fori et leges styli, tamen hæc censentur esse quasi interpretationes illarum, ut in rubrica illarum dicitur. Differunt nihilominus forum et stylus, quod forum non significat ordinem aut modum loquendi, aut procedendi in iudicio, sicut stylus; sed significare videtur omnia jura competentia ratione jurisdictionis, vel in ordine ad illam, vel usum ejus. Unde tota collectio legum spectantium ad jurisdictionis usum videtur posse nomine fori, quasi collective sumpto, significari, quamvis singulæ etiam leges hujusmodi soleant dici fora, hispane, *fueros*.

11. *An forum indifferenter comprehendat leges scriptas et non scriptas.*—Hinc dicunt aliqui forum, in hac acceptione, non solum consuetudinem significare, sed indifferenter comprehendere leges scriptas, vel non scriptas seu consuetudine introductas circa usum jurisdictionis et judiciorum. Ita sensit Burgos de Paz in l. 1 Tauri, n. 385; leges enim fori scriptæ sunt, et tamen sub nomine fori recte comprehenduntur. De illis autem legibus fori frequentius sentiunt hispani jurisperiti, non habere vim legum, nisi in virtute consuetudinis, ita ut lex scripta fori jus non conferat, neque ad probationem sufficiat, nisi usus ejus probetur, ut docet Greg. Lop. dicta l. 7, et l. 28, tit. 15, partit. 7; et Suarez in Proœm. fori, n. 1, 2 et 3; et Valdes. in additione ad illum, et Christoph. de Paz. in rubr. ad l. Styli, part. 1, n. 36, et alii circa l. 1 Tauri, quæ est l. 3, tit. 1, lib. 2 compil., ex qua idem colligitur. Quod si hoc verum est, profecto leges fori, ut scriptæ sunt, non sunt leges. Nam lex scripta non habet vim et substantiam suam ab usu, sed ex institutione et promulgatione; illæ autem non sic institutæ sunt, et propositæ, ut per se obligent, sed solum quantum de usu constiterit. Solum ergo sunt quasi memoralia consuetudinum, ac subinde jus earum, illis non obstantibus, erit jus non scriptum et consuetudina-

rium, quia talis scriptura ei non repugnat, ut supra dictum est.

12. Sed, quidquid sit de illis specialibus legibus fori, non dubium est quin potuerint dari leges scriptæ de toto negotio forensi, et aliæ quæ etiam potuerint consuetudine introduci; et ita omnia quæ diximus de stylo quoad factum, et quoad jus scriptum vel non scriptum, cum proportione possunt ad forum applicari. Addo etiam, licet in regno Castellæ leges fori ad illam materiam iudiciorum determinentur, fortasse in aliis regnis Aragoniæ, etc., alio modo vel latiori significato sumi.

13. Fora enim ibi appellari videntur leges propriæ illorum regnorum antiquæ et quasi inviolabili usu confirmatæ, et maxime quæ pertinent ad modum regiminis, et jurisdictionis principis, et subjectionis populi et nobilium, et fortasse plura complectuntur; et mihi non constat an ab expressa institutione originem haberint, vel consuetudine sint introductæ; utroque enim modo introduci potuerunt, si iusta et rationabilia sint, ut supponimus. Exceptis ergo his specialibus vocibus, aut consuetudinibus, omnia alia jura usu introducta in quacumque morali materia generale nomen consuetudinis retinuerunt. Atque ita constat, per hanc partitionem non multiplicari formaliter, ut sic dicam, jus consuetudinarium, sed tantum materialiter, ex parte rerum seu materialium circa quas versatur. Idemque est de aliis ac similibus partitionibus, quæ facile excogitari possunt.

14. *Divisio consuetudinis ultima exponitur.*— Ultimo notanda est alia divisio, quæ utilis esse poterit ad sequentia. Nam dividi potest consuetudo in positivam, privativam, seu negativam. Prior ex positivo usu ducit originem, et in frequentia actuum quoad factum consistit, et ita quoad jus ad agendum inclinatur, vel obligat. Posterior vero consistit potius in non agendo, et ducit originem ex non usu, et ita interdum vocatur. Quatenus vero ille non usus frequens seu continuatus est, habet modum consuetudinis quæ veluti in facto consistit, et si jus aliquod inducit, ad non agendum tantum inclinatur vel obligat. Est autem hoc loco notanda distinctio de non usu negativo et privativo, quam infra circa privilegia latius explicabimus. Quia non usus negativus non inducit consuetudinem, ut recte notavit Paul. de Castro in dicta l. *De quibus*, quia non est actio nec omissio moralis, et ita non habet rationem moralis et voluntarii usus, sine quo non potest consuetudo introduci: privativus

autem non usus continuatus, aut suis temporibus repetitus, consuetudinem moralem inducit, propter contrariam rationem; maxime quia hic non usus moraliter non est sine actu positivo, sicut de omissione theologi dicunt. Id autem dupliciter contingere potest. Primo, quia ille non usus consistit in carentia alicujus circumstantiæ vel solemnitatis alicujus positivi actus, ut est, verbi gratia, incestuosum contrahere matrimonium sine dispensatione: nam ex hoc frequenti usu colligunt multi, cum Navarro, illam esse veram consuetudinem, quæ potuit auferre illud impedimentum; et talis dici potest non negativa tantum, sed positiva consuetudo, quia non est de omissione, sed de actu facto cum tali negatione, nec negatio sufficeret ad consuetudinem sine actu. Aliter vero contingit, ut non usus consistat in sola carentia actus tempore alias debito, ut erit omissio audiendi missam tali die, non obstante lege; quæ omissio, ut consuetudinem inducat, debet esse voluntaria, et ex ea parte actum aliquem includit: formaliter vero consistit in carentia actuum, et ideo privativa consuetudo dicitur. Et dici etiam potest dissuetudo, quamvis hæc vox æquivoca sit, ut notat Rochus Curt. dicta Prefat., n. 30 et 31; quia dissuetudo proprie videtur supponere consuetudinem; nam cum ab ea receditur, vocari solet dissuetudo, sive ab illa recedatur per contrarios actus, atque adeo per consuetudinem positive contrariam, sive per solam omissionem antiqui usus; utroque enim modo contingere potest, ut constat. Et hoc modo dari potest dissuetudo per contrariam consuetudinem, et potest etiam dari negativa consuetudo, quæ non sit dissuetudo, si consuetudinem oppositam non supponat. Verumtamen etiam dici potest dissuetudo sine respectu ad priorem consuetudinem, quæ præcesserit, sed tantum ad illam quæ posset vel deberet induci. Et ita videtur illa voce uti I. C. Julianus in l. *De quibus*, ff. de Legib., in fine. Et sic formaliter consistit in carentia actuum, et proprie significat consuetudinem negativam, vel privativam. Et in hoc sensu, claritatis gratia, illa voce utemur; quomodo autem illa habeat moralem vim consuetudinis, vel effectus ejus, in sequentibus videbimus.

CAPUT VI.

QUÆ SIT CONSUETUDO BONA ET RATIONABILIS, VEL PRAVA SEU IRRATIONABILIS.

1. Hæc potest esse alia divisio consuetudinis,

quæ ad moralem rationem et effectus consuetudinis explicandos necessaria est, et ideo hic esse præmittendam censui. Duplex autem divisio in titulo insinuat, una est consuetudinis in bonam et malam, alia est in rationabilem et irrationabilem, quæ voces non sunt synonymæ, sed aliquid addit secunda ultra primam, et ideo de illis sigillatim dicendum est.

2. *Consuetudo bona vel mala.*— *Consuetudo mala solum in facto esse potest, in jure nunquam.*—Cum ergo dividitur consuetudo in bonam et malam, de bonitate morali, id est, de honestate et malitia illi opposita intelligenda est, quia aliæ bonitates per se spectatæ, vel malitiæ illis tantum oppositæ, non reddunt homines aut mores eorum bonos vel malos: hic vero solum consideratur consuetudo ut moralis est, et regulam aliquam morum humanorum constituere, vel auferre potest. Et ideo etiam non adjicitur in illa divisione tertium membrum de consuetudine indifferente, quia vel in usu et exercitio dari non potest, ut est verisimilius, vel, licet admittatur, illa ut sic spectata, est impertinens ad jus constitutum, nisi reduceatur ad aliquam rationem honestatis, modo statim explicando. Unde etiam intelligi potest divisionem illam dari de consuetudine, ut est quid facti: nam jus consuetudinis non potest esse turpe, seu inhonestum, quia involvit contradictionem cum ratione juris, quod turpe sit. Sicut enim lex, si sit iniqua, non est lex, ita jus iniquum non potest esse jus, ideoque consuetudo mala solum potest esse in facto, non potest autem aliquid juris inducere, nisi cesset ejus malitia. Datur ergo divisio illa de consuetudine, ut in facto publico et communi alicujus communitatis consistit, et sic est per se satis clara; tum quoad existentiam utriusque membri, quia sicut in singulis personis possunt esse honestæ et prævæ consuetudines, ita et in populo et communitate; tum etiam quoad sufficientiam ejus, ut declaratum est; tum denique quoad membrorum distinctionem, quæ ex ipsis terminis nota videtur.

3. *Consuetudo bona duplex.*—Ut autem magis explicetur sensus distinctionis, et distinctio membrorum, adverto ulterius duobus modis esse posse consuetudinem bonam; uno modo ex parte objecti tantum, alio modo etiam ex parte operantis, et ex circumstantiis actuum honestorum, per quos introducitur, et hæc posterior dicitur bona simpliciter, prior vero secundum quid solum, scilicet objective, si cæ-

tera requisita illi desint. Quia bonum simpliciter tantum ex integra causa consurgit, et ideo, ut consuetudo sit honesta simpliciter, oportet ut per actus undique honestos generetur: ut autem sit bona tantum objective, satis est quod sit de objecto de se bono, id est, ex actibus qui ex vi objecti sui, vel boni sint, vel bene fieri possint, et ex iusta causa fieri. Atque pari ratione (licet non modo omnino simili) subdividi potest mala consuetudo. Nam quia malum est ex quocumque defectu, ideo undecumque sit mala, consuetudo potest dici mala simpliciter: nihilominus tamen una potest esse mala ex parte objecti ipsorum actuum in quorum frequentia consistit, quia nimirum ex vi objecti mali sunt: alia vero versari potest circa materiam de se non malam, et nihilominus esse aliunde mala ex parte operantis, vel ex alia circumstantia, aut conditione impediens bonitatem. Quando ergo consuetudo est mala per se et ex objecto, non meretur nomen consuetudinis, sed abusus, seu corruptelæ, ut jura loquuntur; quia talis consuetudo non potest jus proprium inducere, nec potest per illam fieri ut actus consuetus bonus sit, aut non malus. At si consuetudo sit saltem objective bona, seu non mala, licet non bene inducta fuerit, sed per actus male factos ab operante, aliquid bonæ consuetudinis retinet, et ex illa parte non repugnat, ut aliquid juris non scripti retinere seu inducere possit.

4. *Consuetudo mala intrinsece nullum jus inducit.*—Pro cujus declaratione, adverto ulterius aliquam consuetudinem posse esse malam natura sua, quia actus vel sunt intrinsece mali, vel ita sunt mali, quia prohibiti, ut per nullam humanam potestatem honestari possint, et tunc proprie dicitur consuetudo mala ex vi objecti, et de tali consuetudine certum est non posse jus aliquod inducere, quia est contra jus naturale, vel divinum, de quibus jam dictum est. Alio vero modo potest actus seu materia consuetudinis esse mala, solum quia prohibita jure humano. Et de tali consuetudine dici non potest quod sit simpliciter nulla, vel nullius momenti, ut ex statim dicendis, et ex capitibus sequentibus constabit. Et in illa habere potest locum regula illa: *Multa fieri prohibentur, quæ tamen facta tenent.* Et ratio est, quia talis consuetudo non est intrinsece mala, neque habet malitiam inseparabilem per humanam potestatem et voluntatem; et ideo, licet in fieri sit mala, potest in facto esse carere malitia, si tandem cesset, seu auferatur humana prohibitio; et